

B. N. S. M. Q. P.  
DISSERTATIO EX HISTORIA PATRIA,  
*DE*  
**CELEBRI STA-**  
**TUA QUATUOR**  
**FRATRUM,**

SIVE

**Von der berühmten Seuse der  
4. Brüder in der Fischhäus-  
schen Heyde/**

*QUAM*  
IN INCLUTA ACADEMIA REGIOMONTANA,  
PUBLICÆ SOLEMNIQUE DISQUISITIONI  
SUBMITTIT,

**P R Ä S E S**  
**M. JO. JAC. ROHDE,**  
Reg. Alumn. & Com. Conv. Insp. Sec.  
**ET RESPONDENS**  
**JO. CHRISTOPHORUS HUHN.**

Wel. Bor.

*A. R. S. MDCCXVII. die XVII. Mart.*

*OVID. Trist. lib. 2. Eleg. 1.*

**PIUS EST PATRIÆ FACTA REFERRE LABOR.**

— — — — —  
REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS.

FLORENTISSLÆ LOEBNICENSIS  
REPUBLICÆ PROCERIBUS

IN NEGOTIIS CIVILIBUS MULTUM  
VERSATIS AC DEXTERIMIS

VIRIS

IMMORTALIBUS IN REM PUBLICAM  
MERITIS MAGNOPERE CONSPICUIS, ET AD  
OMNE VIRTUTUM BONARUMQUE ARTIUM  
GENUS ORNANDUM NATIS,

DOMINO CONSULI,  
DOMINIS CONSILIARIIS,  
DOMINOQUE SECRETARIO:

MÆCENATIBUS SUMMOPERE OBSERVANDIS,

Pol. 8. T 880/

880, XXVI, 289

Pro collato largiori stipendio fe obstrictissimum fatetur,  
Amplissimoq; Senatui omnem felicitatem appreccatus,  
hanc dissertationem grati animi ac Venerationis mo-  
numentum consecrat

tot præstantissimorum virorum  
Cultor perpetuus



JOH. CHRISTOPHORUS HUHN,  
S.S. Theol. & Phil. Stud.

# ΣΥΝΟΨΙΣ.

§. I. **N**ominantur illi, qui de statuis, in primis de rebus Borussiae memorabilibus differuerunt. §. II. & §. III. Statua haec describitur. §. IV. Varias esse de hac statua sententias, dicitur. §. V. Queritur, an fuerint 4. Latrones? §. VI. An 4. fratres in tot diversaque orbis plagas hic abeuntes? §. VII. An Dii Viales? §. VIII. An Dii Terminii? §. IX. An 4. Borussorum Dii? §. X. An 4. ex Gothorum gente orti Principes Prusorum? §. XI. §. XII. & §. XIII. An vera sit de Widerwutho historia & an hujus filii hanc posuerint statuam, an vero §. XIV. Albertus aut Albertus Fridericus eandem erexerit, inquiero. §. XV. Veram hac de re sententiam complectitur.

## §. I.



Ot inter res admirandas ac memorabiles, quas antiquitatis indagatores doctis commendationibus illustrarunt, statuas quoq; refero. Alios enim ex eruditorum coetu, de variis statuarum generibus scripsisse, Vir magni nominis *Jo. Alb. FABRICIUS* (*a*) docet; alios speciatim de hac illave, insigni tamen statua literis aliquid mandasse, notum est. (*b*) Nihil igitur, quod reprehensione dignum esset, me suscepisse credo, insignem statuam oculis tuis, Lector benevole, jam subjiciens. Non equidem in Germania, Anglia, Gallia aut Italia, nec Romæ, ubi magna illustrium statuarum antiquissimarumque est copia, (*c*) haec, de qua differeo statua invenitur; interim tamen eo magis aestimanda mihi videtur, quia hoc nobile monumentum in hac regione, patria suavissima intuemur. Cumque tot haec tenus ex doctrina nobiles summaq; laude

A

dignis-

dignissimi viri , de rebus hujus splendidæ urbis totiusque Borussiæ notabilibus & aspectu præclaris differuerunt (d) , ex hoc documentum capiens , mihi quoque convenientissimum esse judicavi , ut consimili ratione , celebrem QUATUOR FRATRUM , (uti communiter eandem appellamus ) statuam describerem.

- (a) Bibliog. Antiq. p. 635. (b) De statua Rahelis sepulcrali J. C. WICHMANSHAUSEN , P.P. O.L. Witt. 1706. de statuis loquentibus D.G. MOELLERUS , Met. & Hist. P. Altorff. 1701. Statuas τετελεσμένας veterum seu die magischen Statuen der Alten/ de scripsit M. Gorfr. Gottb. Greystag/ Lips. 1715. De statua servatori Medico, a feminina sanata, in urbe Panneade posita, seu de statua Hæmorrhousæ D. Job. SCHMIDINIS , Lips. 1689. (c) De hac nobilissimarum urbium quondam principe ALEX. ab ALEX.. l.4. c. 13. in fine scribit: *Rome tantum statuarum ut alter populus lapidem videretur.* vid. collectio statuarum antiquarum & modernarum publicata à Dominico de ROSSI , illustrata explicationibus ad quemlibet iconem à Paulo Alexandro MAFFEO , Romæ 1704. fol. (d) De Columna Ostrocolensi R. Prussiae & Magni Ducatus Lithuaniae Terminali , Dad. BLÆSINGIUS , Math. P. P. Reg. Alumn. Insp. Prim. Resp. auctore Alb. COLUMBO , jam Phil. M. & Cath. Scholæ Con-Rect. 1712. Reg. M. Christ. Gabr. FISCHER. Phys. Prof. Extraord. de Lapidibus in agro Prussico sine præjudicio contemplandis Reg. 1715. ej. Erste Grundlegung zu einer ausführlichen Historie des Unterirdischen Preussens Königsb. 1714. nec non ejusd. Unvorgreifliche Muthmassung von dem auffgehenden Mond/ so in einem Muschel-Stein sich præsentiret. Reg. 1717. M. Mich. LILIENTHAL. Eccl. Cath. Diac. & Soc. Berol. Soc. Entwurf eines Collegii Histor. über die Antiquit. und andre Merkwürdigkeiten des Königreichs Preussen/ Königsb. 1714. ej. Historische Beschreibung des Thums oder der Cathedral-Kirchen der Stadt Kneiphoff-Königsberg ib. 1716. De Uro duas, de Insula natante Gerdaviensi unam, sed eruditas lectuque dignas disserunt.

sert. scripsit, Vir Maxime Reverendus Christ. MASECOVIUS,  
S. Theol. D. P. P. &c. de HARTMANNO aliisque egregiis Viris  
nihil jam dico, scripta enim quæ in publicam lucem emis-  
runt nobilissima, illorum laudem ab obliuione hominum viu-  
dicant.

## §. II.

Hanc autem statuam cuius hic simul imaginem exhibeo, in silva amplissime patenti, quam à vicina urbe **die Heyde von Fischhausen** / nominamus, conspicimus. Est præter hæc semitalis, sive medium in via publica locum, non ob fabuli copiam sterilem, sed gramine plenum adspe-  
ctuque jucundum tenet. Antiquiorum statuarum more lignea (e) & quercica, probe tamen dolata ac angularis est, coni, extremitatem si respicias, figuram referens. Quod altitudinem attinet 24. pedum mensuram parum superat, & infinita prope nomina, omnibus, quorum octo numeravi, angulis, incisa, continet, jamque cariem adeo sentit, ut multas levi opera particulas quivis ab hac carpere possit. Quoties autem adeo tandem ut prope concidat putrescit, toties aliam novamque statuæ jam jam corruentis loco ponere, antiquo more est receptum.

(e) Vid. V. Exc. Jo. Sam. STRIMESII, El. & Hist. Prof. P. dissert.  
de DEO Romanorum Termino §. 6.

## §. III.

De Hermis vero seu imaginibus hujus statuæ, jam specia-  
tim dicendum, quod arcuatis trabibus (quarum quævis fere  
XII. pedum longitudinem habet, quæq; fibulis ferreis con-  
junguntur,) impositæ, quatuor, ut videtur, fratres ætate sibi  
impares, repræsentent. Alter enim alaci venustaq; prout ju-  
venes, alter tristi rugisq; plena, prout senes morosi ac diffici-  
les facie formatus, alter imberbis, alter promissa barba vide-  
tur. Ille igitur (ut more vulgi loquar) ex hisce 4. fratribus, qui

Fischhaviensem praefecturam urbemque quasi respicit , natu maximus , qui pagum Medenau intuetur , huic sed parum saltem inferior , qui hanc regiam & celebratissimum Europæ emporium quasi contemplatur , priori propemodum æqualis , qui denique versus SINUM MAGNUM , **das frische Haff** / dispicit natu minimus quod sit , ex facierum & lineamentorum differentia fortassis non obscure patet . Unde pariter mea opinione haud absconum est , si quis dixerit , hosce Hermas viros forte nobiles & multum in bello versatos fuisse , galeis enim ex lamina , bellatorum more , confessis , sunt instructi .

## §. IV.

Atque hæc est ratio & forma statuæ , quam multi in exteras regiones per Fischhaviensem , proceris inque altitudinem editis arboribus umbrosam sylvam iter facientes , dudum mirati sunt , ac sapenumero adspexere . Jam igitur , ut rem ipsam aggrediar quid de hac statua sentiendum , quidve 4. ejus figuræ sibi velint , quæritur ? Quia vero nostrates hac de re multum dissentient , primo imperitæ plebis pueriles fabulas , posthæc doctorum probabiles conjecturas proferam .

## §. V.

Inter vulgi sententias hæc prima ac fere præcipua , quod *quatuor Latronum* , quas hac statua conspicimus , sint imagines . Hi enim perhibent , posteaquam in hac densissima quondam silva diu insidias viatorum vitæ parassent , innumerasque cædes latenter fecissent , jussit tandem Princeps , ut milites lictoresque hos sceleratos homines , qui cæde commissa , illico in latebras se conjiciebant , confessarentur , quod etiam factum est . Paulo post enim perditissimos nebulones correptos , gravique supplicio excruciatos ,

hoc

hoc loco necarunt. Utque posteri scirent foedissimos latrones hic promerito pœnas exsolvisse, cadaveribus rotæ in-textis, capita quatuor statuæ, cui tot tenuiora innitebantur quasi fulcra imposuerunt, hancque eandem esse, quam nostra memoria adhuc intuemur. Fictam vero falsamqve pœnitutem hanc sententiam esse, ecquis non intelligit? Sane non probabile est majores nostros hominibus ad latrocinia paratissimis statuas posuisse, unde nec SCHAKENSIS præfectura ad hanc usqve ætatem putrescentis loco aliam semper poni curasset, si homicidas tantum hæc columna designaret. Delere enim non conservare nequissimorum hominum memoriam fas est.

## §. VI.

Alii ex fece plebis dicunt, quatuor aliquando fratres hoc loco convenisse, cumque de itinere fuscipiendo diu deliberassent, in quatuor orbis plagas discessisse. Tandem vero ex longinqua peregrinatione redeentes hic alter alterum primo adspexit. Ut igitur testatior perennisque esset hujus rei memoria, hanc statuam posuere. Sed stomachum mihi movet anilis hæc fabula, cumqve nemo ex sapientioribus huic narrationi fidem adhibeat, supervacaneum mihi esse videtur, hanc vulgi opinionem fusius refutare.

## §. VII.

Saniores vero eruditorum, quas jam recensere libet, conjecturas esse, arbitror. Primo itaqve an 4. hujus statuæ imagines, DEOS VIALES connotent, quæritur? Notum quippe Græcos æque ac Romanos, (f) in viis publicis hinc inde statuas plerumqve quadratas, mox lapideas, mox vero ligneas, quarum fastigio virorum toga fagoqve illustrium, (g) plerumqve ramen Deorum figuræ imponebant, crexisse. Atque hosce Hermas informes, seu truncos ma-

nibus pedibusq; carentes, adhæc sine omni industria arteq;  
 formatos, (b) viarum præsides, Laresqve (i) Viales, (l) seu  
 viarum Tutores appellabant. Quod autem quatuor formæ  
 illius, dequa jam dissero, statuæ, Deos Viales non repræsen-  
 tent, exinde patet, [1] quia inscriptio, quam Deorum via-  
 lium statuæ semper habebant, quæque urbes haud procul  
 dissitas aperte indicabat, (m) hic non invenitur. [2] in triviis  
 potissimum aut quadrioviis (n) Diis Vialibus statuas, quo sin-  
 gulae viæ ducerent, quasi admonentes, consecrabant; illic  
 autem ubi hanc nostram conspicimus statuam, cum vix quis-  
 quam de via amplissima quamq; omnes commeant, possit  
 deflectere, neque Diis Vialibus dicata statua invenitur. [3]  
 Certissimum quidem est, gentes plurimas (o) Deos Viales  
 coluisse; an autem id pariter Majores nostri fecerint eo ma-  
 gis dubito, quo minus quis scriptorum fide dignorum testi-  
 moniis argumentisqve hoc confirmare potest.

(f) Vid. *Nic. BERGIERIUS*, tr. de publ. Rom. Viis lib. 4. c. 43.  
 quem completitur Tom.X. A. R. Grævii p. 522. seqq. (g) Vid.  
*Henr. Chrif. HENNINIUS*, in notis ad *BERGIERII*, tract. adduct.  
 lib. 4. c. 4. §. 4. (b) Idem *BERGIERIUS* l.c. §. 6. (i) *PLAUTUS*  
 ejusq; Merc. Act. 5. Sc. 2. v. 24. item Bacc. Act. 1. Sc. 1. v. 3. ibiq;  
 doctas *TURNEBI* ac *MEURSII* de Deorum Vialium, variis no-  
 minibus observ. p. 435. & 757. edit. quæ cum var. not. ex recens.  
*J. F. GRONOVI*. Lugd. Bat. 1669. prodiit. (l) Coluerunt  
 quoq; Romani præter hos, Lares urbanos sive hostes arectates, de  
 quibus disserit *Andr. DACERIUS*, ad *Festum in Hostiliis*. (m)  
*BERGIERIUS*, loc. cit. §. 3. (n) id. §. 2. (o) vid. *Everardi OT-*  
*ZONIS*, liber de Diis Vialibus plerorumque populorum, Hale  
 1714. edit. cap. 3. 4. & 5.

## §. VIII.

Posset autem quis, ut incepta persequar, hanc statuam  
 adspiciens, in hanc porro cogitationem incidere, DEO-  
 RUM forte TERMINORUM quatuor hujus stelæ ima-  
 gines

gines esse. Romani enim tot Deos, Deasque dicis gratia nec ferio adorantes, (p) agrorum limitumque tutelarem Deum, Terminum appellabant. (q) Imago hujus Numinis primis temporibus nulla erat, posthac rudi informique sti-  
piti haud absimilis, (r) tandem humani vultus figuram refere-  
bat. Præter hæc mox facie, prolixam simul barbam haben-  
te, mox juvenili forma imberbisque videbatur. Neque in  
publico tantum imperii limite, sed in ipsis quoq; privatorum  
finibus DEum Terminum ponebant, tantaq; ejus religio e-  
rat, ut semel fixum nunquam effoderint, aut transtulerint,  
immobile enim Numen erat (s). Jam equidem fateor, ea quæ  
protuli aliquatenus in statuam, de qua verba facio quadrare,  
neutiquam tamen eandem 4. Deorum Terminorum imagi-  
nes denotare, mihi est persvasissimum. Non enim [1] hi-  
storicorum effatis firmari potest, idolorum per quam studio-  
sos cultores, Borussos nempe veteres, divino Deum quoq;  
Terminus cultu & honore affecisse. Nec [2] quisquam  
ex hac gente nostra, Deorum, qui custodes limitum appelle-  
lantur, statuam in agris forte locisque incultis unquam con-  
spexit. [3] Quia diversarum ditionum termini prope hanc  
statuam non coëunt, absconum est, si quis ferio dixerit Diis  
Terminis Borussos veteres hanc columnam decrevisse.

- (p) Conf. V. C. Jo. SARTORII, El. & Poëf. P. Gedan. Sched. liter.  
de hypocrisi gentilium, circa cultum Deorum. (q) Vid. Disp.  
supra laudata Jo. S. STRIMESII. (r) Hæc communis est DEI  
Termini figura, alias enim innumeræ ejus fuisse differentias seu  
figuras, refert WELSERIUS lib. 4. rerum Aug. Vindel. p. 72. seq.  
(s) Deus itaque Terminus Diiq; Viales sunt res diversæ, atq;e  
ratione loci & officii differunt. Quamvis V. C. BERGIERIIS,  
qui ex ALEANDRO multa defumisit, hæc duo Deorum genera  
confundat. (t) De hoc Deo Termino, Jovi cedere nolente vid.  
GOLZIUS, in Tomo de Augusto c. 2. n. 20.

## §. IX.

Alii probe scientes , sub Dio subqve arboribus (*u*) Borusiōs, more apud plurimas gentes recepto, (*x*) sua numina religiose coluisse, firmiter sibi persvadent , locum divino cultui destinatum quercumque celebrem pariter ac sacram, eo quondam loco fuisse, ubi iam 4. fratrum statuam conspiciimus. Et præter hæc referunt, hanc eximiæ magnitudinis arborem , sanctissimum quondam Deorum delubrum exaruisse , posteros vero illius loco statuam erexisse. At neq; hæc ad veritatem accedit opinio, quatuor enim tantum quercus celebres, scilicet prope urbes Romove (*y*), Heliogenbeil, Welau & juxta Vistulæ ripam in Borussia fuisse, rem dudum inquisitam doctisque compertam puto. Præter has, autem, adhuc alias, sed minus celebres quercus Deorumque Venerationi sacratas arbores , ad quas confluxere Borussi, habuisse non nego, (*z*) ullam tamen hoc loco stetisse , aut sylvam hanc Lucum (*aa*) Diis dicatum appellari posse, jure vehementerque dubito.

(*u*) *HARTKNOCH.* diss. 6. de locis divino cultui destinatis s. I. seqq.

(*x*) Vid. *Jo. MEURSIUS* fil. in arboreto sacro Lugd. Bat. 1642. 8.

(*y*) De queru Romove gentilibus olim Prussis sacra disput.

*M. Mart. FESCHKE,* Reg. 1674. (*z*) Affirmat. hoc *Erasmus STELLA* lib. 2. Antiq. Boruss. (*aa*) De hoc argumento scriptores

permultos adducit *Vir. Celeb. J. A. FABRICIUS* Bibl. Antiq.

p. 289. seq.

## §. X.

Alii hac de re ita sentiunt , posuisse hanc statuam , quatuor Borussiæ Principes a Gothis oriundos, (*bb*) qui Teutonicum ordinem una bello persequentes , ut finibus hujus regni expellerent , arctissimum foedus fecere. Huic autem sententiæ illico subscriberem , si dignos fide historicos annaliumqve scriptores hoc retulisse scirem ; interim nec facile credet quis, majores nostros Principum superstitioni

tioni deditorum , Cruciferisq; infensissimorum memoriam (cujus clarissimum hæc statua documentum est,) ad hunc usque diem conservasse.

(bb) Nach Erasmi STELLÆ Meynung sind diese Samländische Fürsten (leg. ea quæ præced.) nicht Ankömmlinge wie die Littauische Preussen/ sondern von den alten Scandinaviern oder Gothen gewesen / ait HARTKNOCH. im Al. und N. Preussen pag. 239. col. a.

### §. XI.

Major vero numerus est illorum, qui opinantur , summo genere natos , regis nimirum Widewuthi quatuor filios esse , quorum hæc statua imagines exhibit. Cum autem viri ex doctrina nobilissimi , fabulis plenam de Widewutho historiam esse , (ee) hujusque nominis regem nunquam in Borussia regnasse , arbitrantur ; hoc primo refellere conabor , posthæc adductam modo de Widewuthi filiis sententiam accurate expendam.

(cc) Ita judicat C. S. SCHIRTFLEISCHIUS , §. 5. & 13. nota , in dissert. de rebus Borussorum , cui HARTKNOCH adstipulatur , dum aniles fabulas , quicquid alii de Widewutho referunt , communiter , sed sine fundamento dicit.

### §. XII.

Est autem initio res confessa , Gothos vel Getas (dd) ex Scandinavia , (ee) multarum gentium patria , in Ulmigeriam vel Ulmerugiam ,(ff) posthæc vero in hanc regionem demigrasse . (gg) Præter hæc convenientiunt historici , Gothos quibusdam regibus paruisse , de numero (hh) nominibusq; saltem adhuc sub judice lis est . Hosq; inter Gothorum reges Widewuthum (ii) refero , firmiterq; credo , eundem fortissimæ gentis postremum in his terris rectorem , cum suis ad Pontum Euxinum , ampliores provincias occupandi causa , se contulisse , quo factum , ut pertæsi forte dignitatis regiæ hujus regni incolæ , novum regem non amplius elegerint , quia

potius filiis Widewuthi, certas hujus regionis partes sibi in-  
vicem assignantibus ultrò se submiserint. Objiciunt quidem  
alii [1] incertum esse, quo Widewuthus seculo vixerit. (1)  
[2] *Jo. MAGNUM* dum reges Gothorum nominat, nullam  
Widewuthi mentionem fecisse. [3] Widewuthi nomen  
continentium esse, siue vim verborum ex quibus confla-  
tum videtur, consideres, Musagetam, seu scientiarum fauto-  
rem, (mm) *Einen Vorsteher der Wissenschaften oder Lehrer si-  
gnificare.* Has autem quorundam objectiones sequenti ra-  
tione diluo, (1) quamvis, quo tempore Widewuthus vitam  
egerit, historici non convenient, per absurdum tamen est, ex  
dissensu colligere, regem hunc plane non vixisse. (2) Utiq;  
*Jo. MAGNUS* in numerum ordinemq; regum Gothicorum  
Widewuthum quoq; retulit, est enim hic iste *PHILMERUS*  
cognomine Widewuthus, qui nempe cum princeps litera-  
rum amantissimus fuerit, singulare, uti tot alii omnium sane  
gentium Domini principesq; cognomen (nn) accepit. Un-  
de (3) quamvis hoc nomen, si verborem rationem originemq;  
spectare velis, scientiarum fautorem aut etiam doctorem con-  
notet, non tamen fictitium neminique unquam datum esse  
hoc nomen, afferendum, alias enim *Constantinus Copro-  
nynus* vel *Caballinus*, (oo) aut *Boleslaus regum Poloniae*  
hujus nominis primus *Chrobry* s. *Chobry* (alii aliter dicti  
sunt) ficta, quæq; nemini competit nomina essent, quod  
tamen rerum in orbe gestarum periti, tantum abest, ut asse-  
rant. Quod supereft, dum alii plures adhuc dubitandi ratio-  
nes proferunt, facile easdem refellimus. (pp)

(dd) Goths Getasq; prima origine eosdem *LOCCENIUS*, lib. 1.  
Antiquit. Sueo Gothic. cap. 1. ait, idemq; M. Z. *BOXHORNIUS*,  
in Hist. univers. contra *CLUVERIUM*, Pontanumq; probat. (ee)  
*Jornandes* de rebus Gothicis pag. 38. quique hunc sequitur  
*SCHURTZILEISCH*, de rebus Sueo Gothicis &c. 3. & quam huic  
subjicit nota. (ff) *SCHÜTZIUS* in Chron. Boruss. fol. 2. ita *Jor-  
nandes*

nandes & qui hunc sequitur *HARTKNOCH.* in dissert. de Orig.  
Pomer. Rügia Insulam tractumqve adjacentem Pomeraniz appellat. (gg) *Aeneas SYLVIUS*, *Erasmus STELLA*, *Jo. MAGNUS*  
*H. GROTIUS*, *Jo. LOCCENIUS*, aliquo uno idem ore refe-  
runt. (hh) alii 5. ut *Jornandes* seu *Jordanes*, alii hosqve inter  
*Jo. MAGNUS*, 7. reges Gothorum hic regnasse statuunt, quo-  
rum si scire libet nomina evol. *DUISBURG.* Chiron. Pruss. ex  
recens. *HARTKNOCH*, p. 45. & 46. (ii) in eadem sen-  
tentia est, *D. H. KEMMERICH*, in dissert. Lips. 1704. ed.  
de Corona Borussiae FRIDERICO R. & E. a Deo dat. p. 15. (II)  
vid. *HARTKNOCH.* im II. und III. Preussen p. 36. (mm) Hæc  
est sententia M. Matth. *PRÆTORII*, in annot. ad *HARTKNO-*  
*CHII* dissert de Idololatria Prusorum (nn) leg. Celeb. *J. C.*  
*BECMANNI* Francof. Polyhist. dissert. de cognominibus Prin-  
cipum. (oo) *Lue. OSIANDRI*, Epit. H. E. Cent. 8va p. 103.  
(pp) Totam de Widewutho regibusque Gothorum histo-  
riam rebus fictis immixtam esse, nonnulli ideo credunt, quia  
*Jo. MAGNUS*, 7. Jornandes 5. tantum Principes, qui sumnum  
regiumque imperium inter Gothos habuerunt, numerat, dicitq;  
hos imperante 5to non 7mo rege, soloq; mutato, ad Pontum  
Euxinum se contulisse. Resp. hi duo scriptores, hoc referentes  
sibi non adversantur, alter enim ex his reges communi Gotho-  
rum suffragio electos, alter iisdem pseudo principes duos adjun-  
gens 7. reges, numerat. 2. Nihil alii probant, dum dicunt,  
Widewuthum cum Gothis alias sedes potentibus, ex hac regio-  
ne non discessisse, sed uti referunt historici, ut facrorum primarius  
antistes fieret, regno se abdicasse. Rectius enim meo ju-  
dicio sentiunt, qui putant Widewuthum, deducta in peregrinas  
terras Gothorum gente, (hoc enim regis quo fungebatur Wide-  
wuthus, officium munusque erat,) rebusq; ibi bene constitutis,  
in Borussiam rediisse, regisq; quam gesserat hactenus provincia  
deposita, summi pontificis munus suscepisse.

## §. XIII.

In veterato igitur errore, Widewuthum Gothos nunquam rexisse,  
nendum vixisse, (gg) sublato, an forte filii Widewuthi hanc posuerint  
statuam, inquirendum est. Aliqui enim in ea versantur opinione Wi-  
dewuthum filios 4. aut 12. reliquise, qui ut in æquales Borussiam

portiones dividerent, inter se consenserunt. Major vero natu filius matre ex Alanorum gente oriunda, prognatus, Prussisq; ychementer invitus, nullam uti fratres reliqui hæreditatem terræque tractum consequi potuit. Brevi autem postea inter hos fratres pristinum fœdus oblivioni dantes, gravis orta est dissensio, adeo ut alter alteri acerbissimum bellum intulerit. (rr) Tandem vero præter spem & opinionem accidisse, ut ex his 4. hoc loco convenerint, pacemque illico inter se conciliantes, hanc statuam perennis memorie causa posuerint Animum vero inducere non possim, ut idem statuam, quia non credibile, Borussorum Dominos hanc XVII. amplius sæculis exstructam statuam sæpe putrescentem, singulari studio impensisque ad hanc usque diem renovasse. (ss)

(99) Negare Hartknochium aliosque Widewuthum vixisse regnasseq; eo magis miror, quia quæ dicunt nec antiquorum nec superioris ævi scriptorum testimoniiis satis confirmant Ita illi se rem habere conjiciunt, cur non aliter sentiam, veramque de Widewutho historiam esse affirmem? (rr) *WAISSELIUS*, Chron. Pruss. p. 13. col. b. & 14. col. a. (ss) Hanc de Widewuthi filiis 4. sententiam æque minus ac illam de 4. *MESTWINO*, Pomeraniæ ac Casubia duce Patreq; natis principibus, nimirum *SWENTEPOLCO WARTISLAO, SAMBORIO, RATIBORIO* approbo. Parum vero abest, ut ad illorum sententiam, qui asserunt *JO. SIGISMUNDUM* Elect. ejusq; tres fratres hanc statuam repræsentare, accedam.

#### S. XIV.

Rem vero ut alias dicitur, acutangunt, qui *ALBERTI Senioris primi Borussiae Ducis*, jussu, positam esse hanc statuam existimant, hancque rem ita referunt: Dass Anno 1552. der König in Pohlen Sigismundus Augustus, den Herzog Albertum auf sein inständiges Bitten in Königsberg besuchet und nach dehm er alhier eine kurze Zeit verblieben/ seine Rückreise über Pillau nach Dantzig genommen. Da nun der Herzog Albertus in der Fischhäusischen Heyde ein recht grosses Jagen angestellet und nach dieser hohen Häubtern anständigsten Lusi hochbesagten König aufs herrlichste bewirthet so haben die 4. anwesende hohe Persohnen/ nehmlich der König Sigismundus, Albertus Sen. Joachimus II. Elect. und Georg. Frideric. Marggraf zu Brandenburg Anspach/ an diesem Ort eiliche Stunden mit ungemeinem Vergnügen zugebracht/ und sind enolich von einander geschieden.

Wils

Welches denn Albertum bewogen zu immerwährendem Andenken dieser hohen Zusammenkunft und aufgerichteten Freundschaft diese Seule zu setzen/ die man auch bis auf diesen Tag nicht verfallen lassen. Idem, sed sine fundamento, (tr) alii de *ALBERTO FRIDERICO* referunt, hunc nempe *MARIAM ELEONORAM*, Cliviæ Ducis Filiam (quam ipse Parens Serenissimus præcipuusq; itineris comes, ad *ALBERTUM FRIDERICUM* in Borussiam deduxerat,) in matrimonium ducentem, Socerum dum una cum aliis Principibus, qui nuptiis interfuerant, revertebat, magnifico rebusq; laetissimis abundantí convivio effuse excepisse, eodemq; loco ubi convivium egerant, hi gentium diversarum Domini & 4. principes, *ALBERTUM FRIDERICUM* hanc statuam erexisse.

(tr) Conf. libellus qui inscribitur: herrliche und warhafte Beschreibung der benden Fürstlichen Heimfahrt so mit des Durchleuchtigen und Hochgebohrnen Fürsten und Herrn/ Hn. WILHELMEN, Herzogen zu Cleve &c. zweyten älteren Döchtern/ Herzogin MARIA ELEONORA, in dem Land Preussen/ und Herzogin ANNA, in dem Fürstenthum Neuburg in der Ober-Pfalz ic. geschehen. Franc. ad. Mœn. 1576. 8.

§ XV.

Quodsi jam ergo quænam tot inter conjecturas doctorumq; sententias, maxime vera sit, breviter indicandum, me quas præced. & 13. §. in notis de Jo. *SIGISMUNDO* Ele&t. ejusq; tribus fratribus adduxi opiniones, plurimum approbate ingenue fateor, quod fide dignissimi æta-teque graves viri, hujus statuæ originem hanc esse, una voce retulerunt, seqve hoc jurejurando firmare velle, assieverarunt. Multum interea miror, scriptores rerum in Borussia gestarum nullam hujus statuæ mentionem injecisse, cum tamen tot alias parvi momenti res v. g. grandines, procellas, imbræ &c. consignariint. In optimam vero partem, quæ protuli, Lector benevolus, consulat, credatque me fusius accuratiusq; hac de re disseruisse, si ex Fischhaviensis præfecturæ tabulario, exque actorum, quæ alias ibi asservantur, commentariis hujus statuæ originem rescire potuisse. (uu) Quod reliquum est, quamprimum quis aliam vel forte magis probabilem sententiam imposterum profert, à priori sententia illico desistam.

(uu) Svedi superioris seculi anno 27. seq. in Fischhaviensi urbe castroque hybernantes, maximam actorum annaliumque publicorum partem, procaciter combussere.

OPTIMÆ SPEI ADOLESCENTI  
ELEGANTIORISQUE DOCTRINÆ CULTORI  
**JO. CHRISTOPHORO HUHNIO,**  
S. P. D.  
**M. JO. JAC. ROHDE.**

**H**AUD multi, fateor, ea qua vitam agimus tempestate, sunt adolescentes, qui tota mente omnig<sub>z</sub> impetu animi in liberales artes incumbant; vel enim oscitanter rem agunt, vel doctrina studia plane intermittunt. Aliter longe nobilissime Adolescens Te animatum esse, satis superg<sub>z</sub> scio vehementerq<sub>z</sub> latet. Naviter enim ad præclara quævis contendens, difficulti hac ad dicendum materia ingenium exerces. Rem quoq<sub>z</sub> mihi magnopere gratam facis, dum maxima cum integritatis laude Magistratum gerentibus Viris, prudentissimisq<sub>z</sub> Læbnici Proceribus, qui honestissimorum juvenum studia magnifico sumtu provehunt, hanc dissertationem fætumq<sub>z</sub> quem vix mediocre meum quasi exclusit ingenium, dedicas, atq<sub>z</sub> Te horas bene hactenus collocasse, hoc diligentia documento ostendis. Quam vellem, summis ingenuarum artium Patronis tam notus esses, quam mihi, (mibi namque privatim eleganter dicendi artem profitenti, constanter summaq<sub>z</sub> discendi cupidine hucusq<sub>z</sub> adhæsti,) Te profecto Virtutesq<sub>z</sub> Tuas si bi maxime commendatas haberent. Conatus tamen hic æquis rerum astutioribus non displicebit, nam, quod firmiter credo, impostorum non deerunt Patroni, qui in te studia sua conferent. Quod supereft, hoc bona indolis ac industria specimen ut Nomi ni Tuo studiisq<sub>z</sub> permagnum decus afferat, opto, utque benignissimum Numen perpetuum animi vigorem tibi largiatur, iterum iterumq<sub>z</sub> precor. A. R. P. C. N. S. c/o 10CCXVII. v. Calend. Mart.

